



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Rvperti Ab||batis Monasterii || Tvitiensis Ordinis S.  
Benedicti The||ologi antiqui, Opera duo, ut egregia sanè,  
ita diu desiderata, multoq[ue] || labore perquisita, ac  
sumptu haud ita modico ...**

**Rupert <von Deutz>**

**Colonia, M. D. XXVI.**

**VD16 R 3796**

De Gloria Et Honore Filii Hominis Liber .V.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71860)

# DE GLORIA ET HONORE FILII HOMINIS LIBER V.



VM PLVRIMA DICTA SINT ANTIQVIS, et omnia cōprehendantur uno nomine legis, quam dominus ipse, non ueni (inquit) soluere legē, sed adimplere: rationē non frustra quarat aliquis, cur pauca de plurimis, id est, tantummodo sex dicta pro exemplo posuerit, ut apparet, quibus modis agenda foret adimpletio, quā dixit: & cur ista potius, q̄ cetera, hic assumpserit, taliq; ordine digesserit. Primū est, non occides: secundū, non moechaberis: tertiu, quicumq; dimiserit uxore suam, det illi libellū repudiij: quartum, non peierabis: quintum, oculum pro oculo & dentem pro dente: sextum, diliges proximum tuum, & odies inimicum tuum. Hæc (ut iam dixi) nō frustra

Quæstio:  
De Tobie  
De Tobie  
De Tobie  
De Tobie

quærat aliquis, cur potius assumens, quā cetera, tali ordine digesserit, per singula subiungens, ego autem dico uobis? Ad hæc breuiter dicendum, quia quæ sub istis continentur dictis siue præceptis, ita sunt necessaria Christiano homini ad perfectionem iustitię tendenti, ut sine his perfectus esse non possit eadem perfectione, quam post eadem dicta diligenter commendans, tandem dicit. Estote & uos perfecti, sicut & pater uester cœlestis perfectus est. ¶ Hoc namq; primū est opus iustitię, esse unanimes in fide & fraterna dilectione. Quid aliud nobis intimare curauit, dum præmissis, dictum est antiquis, non occides, adiecit, ego autem dico uobis, quia omnis qui irascitur fratri suo & cetera, usq; esto cōsentiens aduersario tuo? Post hoc initium iustitię, quid tam pulchrum, tam deo dignum, q̄ pro adipiscenda castitate laborare? Hoc plane uehementi intentione declamat, dum præmissis, dictum est antiquis, non moechaberis, adiecit, ego autem dico uobis, quoniam omnis qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam, & cetera usq;, quā totum corpus tuū mittatur in gehennam. Porro studium castitatis sic discrete erat exercendum, ut nullum ipsi naturę generaret scandalum, id est, ne prædicatio castitatis occasio fieret adulteriij, quod & apostolus præcauens, his autem qui matrimonio uincti sunt præcipio, non ego, sed dominus, uxorem à uiro non discedere. Super hoc nimirum confestim nos instruit, dum præmissis, dictum est, quicumq; dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudiij, subiungit, ego autem dico uobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facti eam moechari. Cum autē huc usq; christianus profecerit, ut castitatis uirtute præcinctus sit, confestim & ille iustitię successus eū delectare poterit, ut cunctis quoad potest sese eximat negocijs seculi. Hoc intendens, cū deinde dixisset, dictū est antiquis, non peierabis, adiecit, ego autē dico uobis, non iurare omnino, &c. Deniq; sine iuramentis quomodo tractari negotia? Cū ergo dicit, non iurare omnino, liber esse uult ab omni seculari negotio. Profecto qui hanc susceperit partē consilij, consequenter & illud suscipiet, ut iniuriam non solū non facere, uerū etiam pati propter deū uelit. Mox itaq; præmissis, dictum est, oculum pro oculo & dentem pro dente, adiecit, ego autē dico uobis, non resistere malo, &c. Post hæc unum adhuc necessarium est iustitię signaculum, quod protinus subi proponens, dictum est, ait, diliges proximum tuum, & odies inimicum tuum: ego autē dico uobis, diligite inimicos uestros, benefacite his qui uos oderunt, & cetera, quæ ita concludit. Estote & uos perfecti, sicut & pater uester cœlestis perfectus est. ¶ Nunc horum omnium series iuxta propositum siue inceptum diligentius percurrenda est. **L** Audistis quia dictum est antiquis, non moechaberis. Ego autem dico uobis, quia omnis qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo. Quomodo supra homicidij, ita hic adulteriij uoluntas damnatur, etiam non sequente effectu. Videre namq; mulierem ad concupiscendum eam, quid aliud est nisi contempniti mulierem, habendo uoluntatē adulterandi eam? Recte ergo, sicut qui irascitur fratri suo, uel

Responsio:

Sex dicta legis, pro exemplo iustitię.

Non moechaberis.

suo, uel qui odit fratrem suum, homicida est, & iccirco reus erit iudicio: ita qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam, iam (inquit) mœchatus est eam in corde suo, & iccirco nihilominus reus erit iudicio. Veruntamen adhuc parum est, eiusmodi uisum continere, si uis in te ueracem facere eum, qui hic præloquens dixit, non ueni legem soluere, sed adimplere. Proinde audi quod sequitur adhuc. **L** Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te. **E**xpedi enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. ¶ Etenim hic est sensus. Vi si in castitate perfectus, non solum sinistrum oculum erue, uerum etiam dextrum debes projicere abs te, si tamen scandalizat te, id est, non solum adulterini concubitus concupiscenciam fugere, uerum etiam licitum amorem, licitam coniugij copulam soluere & abijcere, si dūtaxat tecum non consentit mulier habitare, aut si propter cohabitationem eius periculum tibi subeūdū est uitæ uel salutis æternæ. Nam hoc modo reuera dexter oculus tuus scandalizat te, si uel te uirum mulier uel te mulierem uir coniunx non patitur in fide Christi permanere. ¶ Huic fundamento fideliter insistens apostolus, infidelis (ait) si discedit, discadat. Non est enim seruituti subiectus frater aut foror in eiusmodi. Exempli gratia. Pone Iudæum siue gentilem uirum siue mulierem conuerti uelle ad Christū, siue iam credidisse in Christum, & de coniugali copula pati huiusmodi scandalum, ut aut soluendum coniugium, aut fidei subeundum sit dispendium. Nonne huic incunctanter & certissime dicas, expedit tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam? Sic & fratrum & liberorum atq; affinium & propinquorum in causa hac necesse debemus affectum, imò truncare expedit huiusmodi portiones, ne dum uolumus lucrascere cæteros, ipsi in æternum pereamus. Vnde & de sacerdote magno dicitur, cuius anima cultui dei dedicata est. Super patre et matre & filiis non polluetur, id est, nullius affectū sciet, nisi eius, cuius cultui dedicatus est. **L** Dicitum est autem. **Q**uicumq; dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudiij. **E**go autem dico uobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari. **E**t qui dimissam dixerit, adulterat. ¶ Ne ergo nimium sis festinus, dā auditor euangelicæ pacis, ad erudendum oculū tuum dextrū, ne multum festines quasi propter euangelium rumpere coniugij uinculum, quod supra diximus competenter significari per oculū dextrum. Dixit tibi supra, erue oculū tuum dextrū si scandalizat te: & non dixit, erue oculum tuū dextrum, ne forte scandalizette. Vt manifestius fiat quod dico, non tibi dicit euangelium, dimitte uxorem tuam, quam tecū Christiana fides inuenit, ne forte seducat te: sed dicit tibi, dimitte eā, si propter fidem odit te, & tecum non consentit habitare. Adiuuat sensum uestrum Apostolus ad cautelam necessariam, cum dicit. Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc quidem consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier habet uirum infidelem, & hic quidem consentit habitare cū illa, non dimittat uirum, & subinde. Vnde enim scis mulier, si uirum saluum facies? Aut unde scis uir, si mulierem facies saluam? Fieri namq; potuit & nonnunquam factum est, & nonnunquam futurum apostolus scire poterat, ut per mulierem uir, & per uirum mulier salua fieret. Rachel uero uxor Iacob per idolatriæ culpam penè perdita erat, quippe quæ & cum ultro proficiscens, furata fuerat idola patris sui Laban, sed saluata est per uirum, dicentem paulo ante quam moreretur, periclitata partu. Abijcite deos alienos, & mundamini, ac mutate uestimenta uestra. Surgite & ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare deo, qui exaudiuit me in die tribulationis meæ, & fuit socius itineris mei. Dederunt ergo ei omnes deos alienos quos habebant. At ille in fodit eos subter Therebinthum. Ergo coruscante Christi euangelio, dā tu quicumq; coniugatus quæcumq; coniugata inuenta es, comparem siue thori consortem ad fidem Christi præueniens, expecta: nec desperes quandoq; sequi posse quamuis tardantem. Habes namq; non solum rationem, uerum etiam exempla, cur de salute comparis desperare non debeat. Sanctificatus est enim uir infidelis in muliere fidelis, & sanctificata est mulier infidelis per uirum fidem, uidelicet, ut illa, quam dixi, Rachel. Sed hoc aliquando factum est, & addo huc fieri potest. ¶ Vna dumtaxat causa est, propter quam dimittere liceat etiam inuitam, & tecum habitare consentientem, scilicet fornicatio. Sola enim causa ista te liberat, ut non iudicetur

addo est  
Quid est, oculum dextrum projicere.

I. Cor. 7.

Leuit. 21.  
Deut. 24.

Quo licet in fidele coniugē dimittere.

I. Cor. 7.

Gene. 31.  
Ilego t uiro  
Gene. 35.

I. Cor. 7.

Euangelij non admittit libellū repudiij.

dixit fecisse illam mœcham, cū alius eam duxerit, quia prius illa mœchata est, quā tu illam dimiteres. Lex quoq; ubi dixit antiquis dare libellū repudiij, non omnino de isto iudicio tacuit, quod scilicet & qui dimisit & qui dimissam duxit, uterq; adulteri reus fuit. Quid ergo amplius hic dixit quā dictū est antiquis? Videlicet quod in euangelio causa ista non recipienda sit, ut uxorem suam propter odium dimittat quis, nec aliam profus ob causam hoc licitū sit, nisi ob illam, quā dixit, causam fornicationis, quæ sola cū interciderit, reatu mœchicæ non inuoluitur is qui dimisit. In posteriore parte huius euangelij plenius exponit saluator, quod Moyses libellū repudiij dari iusserit propter duriciam cordis mariti, non discidium concedens, sed auferens homicidiū. Multo em̄ melius est, licet lugubrem, euenire discordiam, quā fundi sanguinē per odiū. **I**terum audistis, quia dicitur est antiquis, non peterabis. **R**eddas autem domino iuramenta tua. **E**go autem dico vobis, non iurare omnino, neq; per cœlum, quia thronus dei est: neq; per terram, quia scabellum est pedum eius: neq; per Hierosolymam, quia ciuitas est magnæ regis: neq; per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum album facere aut nigrum. **S**it autem sermo vester, est est, non non. **Q**uod autem bis abundantius est a malo est. **S**ciendū hic in primis, quia dictum hoc domini, non iurare omnino, non nihil in rationibus nostris distat à cæteris dictis eiusdem domini. Deniq; ut non irascaris fratri, ut non videas mulierē ad concupiscendū eam, ut non dimittas uxore excepta fornicationis causa, ut non resistas malo, quinimō percutienti dexteram maxillā præbeas & alterā, ut bene facias his qui oderunt te, & ores pro persecutibus & calumniantibus, nec litera, nec spiritus legis usquam contra dicit. **A**t uero ut non iures omnino, non uidetur lex in tuo reliquisse arbitrio. **D**icit em̄. **S**i later fur, dominus domus, à quo sublatū est furto quippiam in custodia sibi commēdatū, applicabitur ad deos, id est sacerdotes, & iurabit quod non extenderit manū in rem proximi sui, ad perpetrandam fraudē. **I**tem. **S**i quis cōmendauerit proximo suo quodcumq; iumentū ad custodiam, & mortuum fuerit aut debilitatū uel captum ab hostibus, nullusq; hoc uiderit, iusiurandū erit in medio, quod non extenderit manū ad rem proximi sui, sulcipietq; dominus iuramentum, & illerreddere non cogetur. **Q**uomodo ergo dicit nobis, non iurare omnino, nisi ita dixerat, ut uelit nos eorum, quæ occasionem siue etiam necessitatē prebent iurandi, nihil propriū possidere in mundo? **E**t reuera hic est ordinatus ad perfectionē iustitiæ profectus, ut postquam erueris abste oculū dextrum eo modo, quo supra dictū est, totū deinde sequaris consiliū, quod huiusmodi est. **S**i uis profectus esse, uade & uende uniuersa quæ habes, & da pauperibus, & ueni sequere me. **C**um em̄ hoc feceris in tuo iam erit arbitrio, non iurare omnino. **Q**uod deinde dicit, neq; per cœlū, neq; per terram, neq; per ciuitatem Hierosolymā, neq; per caput tuū iuraueris: iam non solummodo consiliū, uerū etiam præceptū est, quia uidelicet per elementa mundi iurare, omnino delictū est. **H**anc per elementa iurandi pessimam consuetudinem semper habuere Iudæi, sicut prophetalis eos sermo frequens arguit, utpote creaturas resq; carnales uenerantes honore & obsequio dei. **Q**ui em̄ iurat, profecto aut ueneratur aut diligit id per quod iurat. **P**orrò hic uenerationem circa hæc habendam uidetur augere, cum dicit de cœlo, quia thronus dei est, de terra, quia scabellū est pedū eius, de Hierosolyma, quia ciuitas est magni regis, & iccirco per ista ne iuraueris inquit, **N**unquid hoc sensu res istas magnificat, ut earundē rerū non sit ausu iurandi temeranda maiestas? **I**mō hæc iurandi uocibus indigna iudicat. **S**olus em̄ deus solus creator est, per quem iurandum sit, si necessitas iurare compellat. **A**t em̄ lex. **E**t per nomen exteriorum deorū non iurabitur, nec audietur ex ore uestro. **I**tem. **D**ominū deum tuum timebis & ei seruias, ipsi adhærebis, iurabisq; in nomine illius. **E**t hoc quasi paruulis fuerat lege concessum, ut quomodo uictimas immolabant deo, nec eas idolis immolarent sic & iurare permittentur in deū, non quod recte hoc facerent, sed q̄ melius esset deo id exhibere q̄ demonijs. **C**ū igitur dicit, neq; per cœlū iuraueris, & causam istā subiungit, quia thronus dei est, itemq; de terra, quia scabellum est pedū eius, idem est, ac si dicat, quia cœlū tanto minoris est eo per quem solū iurare concessum est, quanto minoris est sedes eius sua sedes, itemq; terra tanto minor illo est, quanto minoris est scabellum eo cuius sub pedibus

Matth. 19.

Leuit. 19.

Nō iura omnino, distat ab alijs dictis domini.

Exodi. 22.

Ibidem.

Matth. 23.

Nō iurandū est, neq; p cœlū, neq; per terram, &c.

Exodi. 23.  
Deut. 5.

dibus est. Similiter Hierosolyma, quæ (ut multū dicam) ciuitas magni regis est, forte Dauid qui illam ccepit, aut Salomonis qui illam ampliavit, siue etiam dei, propter fundamentum in ea templum dei. Quid ergo per ista iuras, eum cælum non deus, sed tuo sensu scabellum pedum dei sit, propter illud quod in propheta dicit, cælum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum: cum Hierosolyma non deus, sed ciuitas sit regis magni? De capite tuo quid dicam? Quid iuras per caput tuum, id est, per te metipsum, cum tu non feceris te metipsum? Illum namq; solum iurare decuit per semetipsum, quæ alius non fecit, quia maiorem se (ait Apostolus) per quæ iuraret, non habuit. Hæc secundum tempus illud maxime contra Iudæos dixerit, qui per angelos & urbem Hierusalem & templū & elementa iurantes, creaturas resq; carnales uenerabantur honore & obsequio dei. Deniq; confydera, quod hic saluator non per deum iurare prohibuerit, sed per cælū & terram & per Hierosolymam, & per caput tuum. ¶ Porro euangelica ueritas non recipit iuramentum, cum omnis sermo fidelis pro iureiurando sit. Dicit enim. Ego autem dico uobis, non iurare omnino. Sit autem sermo uester, est est, non non. Quod autem his abundantius est, à malo est subauditur illius, cuius infirmitate seu duricia iurare coactus est. Exempli gratia, Vt is qui primus ex hominibus iurasse legitur Abraham. Quod enim iurauit à malo eius fuit qui dixit. Iura ergo per dominum, ne noceas mihi & posteris meis stirpīq; meæ, sed iuxta misericordiam, quam feci tibi, facias mihi & terræ in qua conuersatus es aduena. Rex enim erat ille, & nisi rogatus ab eo iurasset Abraham, magis illi suspectus esse poterat. Similiter quod apostolus iurauit Corinthiis, si tamen nihil minus habet à iuramento quod dicit, deus & pater domini nostri Iesu CHRISTI, qui est benedictus in secula, scit quod non mentior, itemq; quotidie morior per uestram gloriam fratres: à malo fuit ipsorum, quos ipse culpans ait. Factus sum insipiens, uos me coegistis. Ego enim debui à uobis commendari. Postquam consilium hoc sequi cœperit Christianus homo, ut non iuret omnino, quod (sicut iam supra dictum est) tunc demum obseruare poterit, si semetipsum expediat ab omni seculari negotio, quod iam sequitur secundum propositum eius ad perfectionē iustitiæ tendentis, nisi hoc, ut nulli malum pro malo reddere uelit, nec saltem resistere iniuriam facienti. Sequitur ergo. Audistis quia dictum est, oculus pro oculo & dente pro dente. Ego autem dico uobis, non resistere malo. Sicut illud dictum antiquis, quicunque dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudiij, ita & istud, oculus pro oculo, dente pro dente, non præcipientis, sed concedentis siue permittentis fuit, uidelicet ob duriciam cordis, cui nequaquā sufficit æqua repensio, nec requiescit, nisi de pena crudelitatis satiata fuerit. Ergo & in hoc est adimpletio legis, dum non solum uicariā non repossere docetur penā, uerum etiam ad omnis iniuriæ uir ecclesiasticus formatur patientiam. Si quis (ait) te percusserit in dexteram maxillam tuam, prebe illi & alteram. Et ei qui uult tecum iudicio contendere, remitte & pallium. Et quicumque te angariauerit mille passus, uade cum illo alia duo. Qui petit a te, da ei. Et uolenti mutuari a te, ne auertaris. Vere propter huiusmodi doctrinā saluator quodam loco dicit. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Tollite iugum meū super uos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus uestris. Etenim q̄ contra faciunt, qui percutiunt in maxillā, quoad possunt, repercutiunt: qui pertinaci contentione agunt, ne uincantur ab eo qui uult tollere tunicā uel palliū, nonne laborant? Nonne onerati sunt? Contra qui præsentem sequuntur consiliū, nonne requiem etiā in præsentem seculo inueniunt? Iam fiet illud quod dicit, qui petit à te, da ei, si hilariter fiat, quoniā (ut testatur apostolus) hilare datore diligit deus, quanta ibi iocunditas? Quanta festiuitas? Veruntamen notandū, quod non ita dicit, & qui petit à te, da ei quicquid petit. Quis enim hoc semper facere potuit? Forte petit aurum, tu autem non habes aurū uel argentū. Propterea dic illud, quod Petrus Apostolus dixit, dum claudus mendicans intendere in eū, sperans ab eo se aliquid accepturum. Argentum & aurum non est mecum, quod habeo, hoc do tibi. Etenim si uoluntas prompta est (ait Apostolus Corinthiis) secundū id quod habet accepta est, non secundū id quod non habet. Et si non est aliud, sermo responsionis porrigatur bonus, quia scriptum est, sermo bonus

Esaiæ. 66.  
Hbrae. 6  
Gene. 27.  
2. Cor. 11.  
2. Cor. 12.  
Exodi. 27.  
Deut. 19.  
Math. 11.  
2. Cor. 9.  
Actu. 3.  
2. Cor. 8.  
Prouerb. 17.

bonus super datum optimum. ¶ Sciendum quia dominus noster, qui hæc docet, in pri-  
 mis uel maxime fecit quæ docuit. Petenti dedit, immò non expectauit ut peteretur, sed  
 ultro dedit plus quam petere sciret aliquis. Quomodo cœpit: Scitis eñ (ait idem Apосто-  
 lus) gratiam domini nostri Iesu CHRISTI, quoniã propter nos egenus factus est cum  
 esset diues, ut illius inopia uos diuites effecit. Ipse percutienti maxillam præbuit non solũ  
 alteram, uerum etiam totum corpus ut saturarerur obprobrijs, sicut dictum fuerat per pro-  
 phetam Hieremiam. Ipse uolenti cum eo contendere iudicio, uidelicet Pilato siue popu-  
 lo Iudaico, non respondit uerbum, tollentiq; tunicam eius inconsutilem & desuper con-  
 textam per totum, remisit & omne uestimentum, ut facerent quod scriptum est. Diuise-  
 runt sibi uestimenta mea, & super uestem meã miserunt sortem. ¶ Porro quod adhuc di-  
 cit, & quicunq; te angariauerit mille passus, uade cum illo alia duo, subauditur milia passu-  
 um: multo insignius quam litera sonat, ipse paulo ante fecerat. Hic primo sciendum, quia  
 mille passus sabbatizantem lex sacra concedit. Quod autẽ uel quale est aut esse debet spi-  
 ritualis uiri sabbatum, nisi secreta & quieta meditatio rerum spiritualium? Nimirum eius-  
 modi sabbatũ sabbatizabat ipse in deserto, quando accessit ad eum tentator. Veraciter hoc  
 fuit mille passus angariari, cum tentatore in illo tali sabbato altercari. At ipse tantummo-  
 do mille passus angariari, id est, non tantummodo semel passus est tentari, sed iuit cum illo  
 alia duo, quia duas præter priorem tentationes pertulit, assumptus ab illo in sanctam ciui-  
 tatem, & ductus in montem excelsum ualde, & tunc dixit ei. Vade Satanas, ¶ Forte & tu  
 o anima magni apostoli, siue cuiuscunq; uiri apostolici, sabbatizare uis. Expoliasti te tui-  
 cia tua, lauisti pedes tuos, & in cubiculo secretæ contemplationis sabbatizare uis. Sed ec-  
 ce uox dilecti tui pulsantis. Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata  
 mea. Hæc dicens, Vtiq; angariare te uult mille passus, quod est sabbati iter, ut ante iam di-  
 ctũ est. Angariare (inquam) te uult, ut postposita, quã elegeras solitariæ contemplationis  
 requie, surgas illi aperire, uadas euangeliũ eius annunciare, & hoc in una parte orbis ter-  
 rare in Asia, ubi sita est Hierusalem siue Iudea, ubi euangelium eius primũ loqui oportebat  
 Vade cum illo alia duo milia passuum, id est, noli contentus esse in una Asia prædicare,  
 sed & in Africa & in Europa prædicando labora, laborando prædica euangelium, & hoc  
 modo pulchre angariatus es, uadens cũ illo non solũ mille passus, sed & alia duo, suntq;  
 tria milia passuum, quia tres sunt partes orbis terrarũ. Nunquid in huiusmodi angaria plus  
 iniurice tu pro illo, quam ille pro te passus est? Illum quippe deum & hominem diabolus  
 tentator, te purum hominem angariauit ipse deus saluator. ¶ Interea iustificare debemus  
 deum & patrem domini nostri Iesu CHRISTI, ipsumq; filium qui hic loquitur nobis  
 & dum non accipimus quod ab ipso petimus, nihilominus cũ Psalmista dicere, Fidelis do-  
 minus in omnibus uerbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Quid em̃? Nunquid illud  
 solũ dixit, Amen amen dico uobis, si quid petieritis patrẽ in nomine meo, dabit uobis, pe-  
 tite & accipietis, petite & dabitur uobis? Nonne & hoc dixit, Date & dabitur uobis, &  
 quod hic in præsentì loco habemus, qui petit à te, ne auertaris? Volumus audire, petite &  
 dabitur uobis: & dissimulamus audire, date & dabitur uobis. Profecto sicut apud Esaiam  
 ubi præmittens, quærite iudicium, subuenite oppresso, & cætera, tunc demum subiungit,  
 & uenite & arguite me: ita & hic iuris peritus esse debebis, ut cum feceris quod dicit, Qui  
 petit à te da ei, & uolenti mutuari à te, ne auertaris, tunc demum uenias & arguas eum, eo  
 quod non acceperis, iuxta promissum hoc, petite & accipietis. ¶ Adhuc unum superest  
 o Christiane dictum uel dicendum tibi, & sex erant dicta domini, & cum sex, quasi dies  
 bus dictorum huiusmodi bene operatus fueris, legemq; adimpleueris, tunc demum  
 uenies iure introire in requiem domini, & sabbatissimum filiorum dei sabbatizare di-  
 gnus sis. Quid est illud? Audistis (inquit) quia dictum est, Diliges proximum tu-  
 um, & odies inimicum tuum. Ego autem dico uobis, Diligite inimicos uestròs,  
 benefacite his qui oderunt uos, & orate pro persequentibus & caluniantibus uos,  
 ut filij patris uestri qui in cœlis est, qui solẽ suũ oriri facit super bonos & ma-  
 los, & pluit super iustos & iniustos. ¶ Poteras percutienti maxillã dextram, etiam iratus  
 præbere alteram, & dicere non (ut apostolus) prænũtiando, percutiet te dominus, sed im-  
 precando.

Chrs q̄ docu-  
 it, ipse in pri-  
 mis fecit.  
 2. Cor. 8.

Thren. 5.

Iohan. 19  
 Psalm. 21.

Actu. 1.

Math. 4  
 Luca. 4

Bona angari-  
 riatio aplos  
 & similia  
 Cant. 7.

Date & dabi-  
 tur uobis.  
 Psalm. 144

Iohan. 16  
 Luca. 11.  
 Luca. 6.

Esai. 1.



**Actu. 23** precando, percutiat te dominus paries dealbate: poteras auferenti tunicam, etiā iratus red  
**2. Timo. 4** mittere & palliū, & dicere, non (ut idem apostolus) cōminando siue p̄nunciando, reddet  
 illi dominus, sed maledicendo siue impre cando, reddat illi dominus secundū opera eius, ut  
 non esset contra hoc legis mandatū adhuc minimū, Diliges amicū tuū, neq; contra hoc le  
 gis permissum, & odies inimicū tuū. Porro tendēti tibi ad gradū optimū, ut sis filius patri  
 sui qui in caelis est, permissio uti non conuenit, ut odio habeas inimicū tuū, imō expedit ut  
 diligas eū iam, dū adhuc inimicus est, & pro illo ores. ¶ Quare ergo lex dixit, & odies in  
 micū tuum? Nonne ipsa eiusdem uox est, cuius & euangelium? Quare ergo tam diu dista  
 lit dictum hoc tam benignum. Dilige inimicum tuum? Videlicet, quia hoc impossibile e  
 rat legi, & in hoc infirmabatur per carnem, sicut apostolus ait. Quorum per carnem infir  
 mabatur? Nimirum eorum qui sub lege erant, quia carnales erant. Sicut ad duriciam cor  
 dis eorum permisit eis dare coniugibus libellos repudij, ita nihilominus ad duriciam cor  
 dis eorum & propter infirmitatem carnis eorū alia quoq; multa permisit, quorum de notis  
 simis est hoc unum, & odies inimicum tuum, siue ita, propinquus occisi statim, ut homici  
 dam apprehenderit, interficiet eum, Dicis itaq; mihi. Nonne & hodie in hominibus eadē  
 est tam duricia cordis quā infirmitas carnis? Est quidem, sed exemplum accessit, quod  
 antiquis defuit. Debet plus ualere doctrina, ubi docentem sua commendant opera. Au  
 diri debet p̄ceptum, quod p̄ceptoris roborauit exemplum. Ecce filius dei p̄cep  
 tor & doctor de caelo uenit: quod p̄cepit, fecit: quod docet, opere ostendit. Dilexit in  
 imicos, nam cum inimici essemus (ait ap̄tus) reconciliauit nos deo. In ipso mortis articulo  
 pro persequentibus & calumniantibus se orauit, pater (inquiens) ignosce illis, non em̄ sci  
 unt quid faciunt, cunctisq; credere uolentibus reatum suae mortis indulsit. Hoc exemplū  
 doctrinā eius adiuuat, quod quia defuit quando data est lex, erat ipsa lex infirma: simulq;  
 quia spiritū dilectionis dare non poterat, tale quid illi efficere & ad perfectionem cogere  
 homines impossibile erat. Iste quia & perfectionis exemplū & dilectionis spiritū dedit, ic  
 circo iam extunc iure à nobis imitationē exigit grandi proposita spe, quae cū uenerit, pro  
 sectō meritum omne excedit, ut simus filij dei, fratres & coheredes unici filij dei. ¶ Et in  
 hoc dicto cū dicit, ut sitis filij patris uestri qui in caelis est, magna subinnuit distantia sit  
 liorum multorū & ipsius unici filij dei. Ille namq; non ut esset filius dei, sed quia erat filius  
 dei, dilexit inimicos, secundū naturam suae bonitatis: alij omnes, non quia sunt, sed ut sint  
 filij dei, diligant inimicos imitatione illius bonitatis, qui solem suum oriri facit super bonos  
 & malos, & pluit super iustos & iniustos. Hoc si sensu duplici intelligas, abundantius  
 ualet. Nam est quidem magnum bonitatis siue benignitatis eius experimentum, quod so  
 lem istum uisibilem facit oriri super bonos & malos, & pluuiam terrae necessariam pluit su  
 per iustos & iniustos, sed maius multo est, quod solem iustitiae, solem uerum, Christū filiū  
 um suum notum facit bonis & malis, tam qui ex Iudaeis, quā qui ex gentibus sunt, & uo  
 luntaria praedicationis euangelicae pluuia cunctos irrigans, cohortatur eos facere bonum  
 fidei uel poenitentiae fructū. **L. Si enim diligitis eos tantum qui vos diligunt, quā  
 mercedem habetis? Nonne & Publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fra  
 tres uestros tantum, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt?**  
**Estote ergo perfecti, sicut & pater uester caelestis perfectus est.** ¶ Vbi opus labor  
 riosius, ubi labor est operosior, ibi uel inde merces maior, & corona acquiritur gloriosior.  
 Porro multi p̄cepta dei, imbecillitate sua, non sanctorū uiribus, aestimantes, putant esse  
 impossibilia quae p̄cepta sunt, & dicunt sufficere uirtutibus, non odisse inimicos, carere  
 rum diligere plus esse quā humana natura patiat. Non sunt impossibilia, sed possibile  
 est obseruari haec omnia, quippe cum de iustis hominibus exempla nonnulla sunt, qui  
 haec obseruauerunt. Stephanus protomartyr deprecatus est pro lapidantibus inimicis, &  
 hanc obseruauerunt. Stephanus protomartyr deprecatus est pro lapidantibus inimicis, &  
 Paulus optabat anathema esse pro persecutoribus suis. Sed & ante exemplum huius filij  
 dei, cuius est dictum, quicq; fecit hoc ipsum dicens, pater ignosce eis, quod em̄ faciunt nel  
 ciunt. Dauid iniustus planxit Saulem, luxit ABSOLON, ambos persequentes am  
 bos ipsius animam quarentes. Inuisum DAVID iccirco dixi, quia lex non iusserat  
 inimico parcī, siue doleri de morte inimici; Euangelium autem, sicut in ceteris ante die  
 bus, ita

**Quaestio.**  
**Roma. 7.**  
**Responsio.**

**Num. 37**  
**Churchianis**  
**minus licet q̄**  
**licuit Iudaeis.**

**Roma. 5.**  
**Luc. 23**

**Roma. 8.**  
**Differētia in**  
**ter unicum filiū**  
**um dei & mltos**  
**filios dei.**

**Chri p̄cepta**  
**ta nobis poss**  
**libilia.**

**Actu. 7.**  
**Roma. 9**  
**Luc. 23**  
**2. Reg. I.**  
**2. Reg. 19**

dis, ita in isto supplet defectū legis. ¶ Dicitū hoc, estote ergo & uos perfecti sicut & pater uester celestis perfectus est, quantæ gratiæ sit, ex opposito magis elucet, scilicet ex eo, quod serpens primis parentibus nostris dixit, suadens transgredi præceptū, comedite, & eritis sicut dii, scientes bonū & malum. Malam uiam quasi ad perfectionē ille sibilando susurravit, bonā uiam ad ueram perfectionem iste, demonstrando prædicauit. Estote (inquit) perfecti, estote nō dico sicut dii, sed uere filij dei. Estote (inquā) ita perfecti, secundum modū perfectionis, quo pater uester celestis perfectus est, id est, nō odiendo amicū deum, quod ut fieret, serpens suauis: sed diligendo etiam inimicos, cuius rei uobis exemplum præbet ipse pater celestis. Illius doctrina nequam abduxit hominem ad omnimodam dei dissimilitudinem. Hæc doctrina æqua conformabit uos ad eiusdem dei similitudinem, ut fiat quod scriptum est, ego dixi dii estis, & filij excelsi omnes. ¶ In hoc (inquit apostolus Iohannes) manifesti sunt filij dei & filij diaboli. Nam filij diaboli sunt, qui nec amicos diligunt: i hoc imitantes diabolum, qui non dilexit, imò odio habuit creatorem suum, cū ille gratis & magnū & speciosum & sapietē (sicut apud Ezechielem testatur) fecisset, & in monte sancto dei, id est in cælo, posuisset eum: persuasitq; hominī, ut neq; fidem neq; dilectionem haberet erga eundem creatorem suum, suoq; exemplo contemneret eum, habendo peruersum similitudinis, id est diuinitatis, eius appetitum. Filij dei sunt econtra qui etiam inimicos diligunt, optando ut amici fiant, imitantes ipsum deum, qui cum inimici essemus, uobis nobis obtulit reconciliationis gratiam, tanta dilectionis abundantia, ut proprio filio suo non parceret, sed pro nobis omnibus traderet eum, Ad huius imitationem suos filius dei audientes inuitans, cum dixisset, estote & uos perfecti, protinus non quantitatē, sed qualitatem perfectionis proponēs, addidit, sicut & pater uester celestis perfectus est. Quod est dicere, Sicut ille uos dilexit, cum essetis inimici, ut amicos faceret de inimicis: ita & uos diligite inimicos, dando operam, quoad potestis, ut conuertantur & efficiantur amici. His explicitis, protinus dicit. ¶ Attendite, ne iustitiam uestram faciatis coram hominibus, ut uideamini ab eis. Alioquin mercedem non habebitis apud patrem uestrum qui in cælis est. ¶ Post illa, quæ haecenus tractata sunt, dicta iustitiæ, dicta legis adimplendæ, secundum propositum dicentis, non ueni soluere legem, sed adimplere, nūc aduersus intemperantiam loqui incipit, exhortando suos, & informando ad uirtutem temperantia. Hoc ita facere incipit, ut attentos nos esse uelit, dicendo, attendite ne iustitiam uestram faciatis coram hominibus, ut uideamini ab eis. ¶ Venerabilis igitur & uere celestis temperantiæ uirtus hic inchoatur prædicari, quam nescierunt (sicut & cæteras uirtutes) Ethnici, id est gentiles, philosophi inanes: qui nomina quidem earum circa res aniles declamauerunt, sed naturam uel dignitatem ignorauerunt, & fundamentum, super quod eas edificarent, non habuerunt. Ego (inquit) uobis supra dixi, luceat lux uestra coram hominibus, quod sine dubio est iustitiam facere coram hominibus: sed non dixi, ut uideamini ab eis, quod esset, sine deo uelle sabbatizare siue gloriari: immò dixi, ut uideatur opera uestra bona, glorificent patrem uestrum qui in cælis est, quod est quærere gloriam dei, & tendere in sabbatismum eius, ubi requiescit & ipse ab operibus suis, Alioquin si mercedem hic recipere festinatis, mercedem momentaneam, quæ in usu hominum, in laude uel fauore popularium, quàm lenis, quàm exilis est, mercedem (ait) non habebitis apud patrem uestrum qui in cælis est, ¶ Cum ergo facis elemosynam, non li tuba canere ante te, sicut hypocrite faciunt in synagogis & in vicis, ut honorificetur ab hominibus. Amen dico uobis, receperunt mercedem suam. ¶ Ergo (inquit) quoniam mercedem non habebit, qui iccirco iustitiam suam facit coram hominibus, ut uideatur ab eis, cum facis elemosynam, & cætera. Operum bonorum ex radice dilectionis prodeuntium, primum uel præcipuum elemosyna est, sequens oratio, Deinde ieiunium. Paulo ante, radicem dilectionis intus in corde plantatam uel fixam esse uolens, dixit, audistis quia dictum est, diliges proximum tuum & odies inimicum tuum, ego autem dico uobis, diligite inimicos uestros, & cætera. Si ergo fixa est in corde radice dilectionis, bona est elemosyna, bona oratio, bonum & utile ieiunium: de quibus hic agit ipse plantator eiusdem dilectionis, quia fructus uirales sunt, & mercedem uitæ æternæ

Gene. 3.

Psalm. 27.  
I. Iohan. 3.  
Quo dicit filij  
diaboli a filiis  
dei.  
Ezech. 28. 37.

Gene. 3.

Roma. 5. 2.

CAP. VI.

Philosophi n̄  
uere cognos  
uerūt uirtutes

Radix bono  
rū operū di  
lectio est.



eterna acquirunt. ¶ Possunt autem hæc eadē foras extrudi absq̄ radice dilectiōis, sed tali  
 proventu omnis horū fructuum pulchritudo est hypocrisis. Interpretatur em̄ hypocrisis  
 deauratio, quod nomen latinum sic à nobis intelligitur, ut res quælibet in superficie color  
 re lucens aureo, sentiatur intus esse sine auro. Vt ergo uicinius dictum sit, ille hypocrita est  
 qui eleemosynam quidem dat & orat & ieiunat, sed intus aurum dilectiōis non habens,  
 dupliciter ambulat, penitralibus siue interioribus foetidis, superficie aurea: Eleemosyna  
 quæ non eiusmodi est, quæ non hypocrisis, id est deauratio, sed tota aurea, tota ipsa aurum  
 est, cuius uena seu uenarū principum dilectio est, unde aurū uerū misericordiæ manu effo  
 di solet, hæc præciosa est, hæc in cœlū ascendit, & ibi regem regū, dominūq̄ dominantū  
 delectabiliter pascit, potuscq̄ illi est delectabilis, eūq̄ uelut uestimentū cooperit, sicut & ip  
 se ore proprio testificabitur in die iudicij. Esuriui em̄, & dedistis mihi manducare, & cate  
 rs usq̄, quādo fecistis unū de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. ¶ Et notandū quod  
 huius gratiæ sex opera sunt, quandā habentia similitudinem sex dierū, quibus deus mundū  
 perfecit & omnia quæ in mundo sunt, in eo uidelicet, quod & ipsa suū promeretur sabbatū  
 tū: ut qui hæc fecerit, etiā ipse requiescat ab operibus suis (ait ap̄tus) sicut & à suis deus. Pri  
 mū est, esuriui & dedistis mihi manducare: secundū, sitiui & dedistis mihi bibere: tertium,  
 hospes erā & colligistis mei: quartū, nudus & operuistis me: quintū, infirmus & uisitastis  
 me: sextū, in carcere erā & uenistis ad me. Ingredientur em̄ in sabbatū, id est, in requiem do  
 mini, qui hæc sunt operati, uocante ipso qui post sex dies in septimo requieuit, ac dicente,  
 Venite benedicti patris mei, possidete paratū uobis regnum à constitutione mundi. Ta  
 li ac tanto illius sabbatissimi bono animam suam intemperans hypocrita defraudauit, quia  
 faciēs eleemosynam, tuba cecinit ante se, uoluit uideri in synagogis, uoluit audiri in uicis,  
 cupiuit ab hominibus honorari, & hanc mercedem uanus ambiuit, uacuos recepit, inanis  
 tulit. **L** *Et autem* (inquit) *faciēte eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dexte*  
*ra tua.* ¶ Quid em̄ opus est sinistra adhiberi, ubi sola dextera sufficit? Quid opus est totū  
 corpus moueri siue inquietari discurrendo, clamando, tuba canendo, cum sola manus dex  
 xtera leui ductu sese porrigēdo, plus fundere possit quā paupe petere ausus fuerit, plus  
 ingerere quā tuum posse aut uelle sit? Vtinam quieta manente sinistra tantum dare uelis  
 quantum porrigere ualet priusquam lassetur aut deficiat portenta dextera. Iccirco sic faci  
 to, **L** *ut sit eleemosyna tua in abscondito.* ¶ Olim in parabolis quoq̄ sapientia dixerat. Mu  
 nus absconditum extinguet iram, & donum in sinu indignationem maximam. Hæc est illa  
 redditio dei, quam protinus familiariter promittens. **L** *Et pater tuus* (inquit) *qui uidet*  
*in abscondito, reddet tibi.* ¶ Vnde pater tuus? Nimirum ex eo, quod non contentus es ob  
 seruare illud antiquis dictum, diliges amicum tuum, & odies inimicum tuum, sed ad illius  
 dicti supplementum, si esuriuit inimicus tuus cibasti illum, si sitiuit, dedisti illi potū, ut uin  
 ceres in bono malum, quæ totius eleemosynæ laudanda perfectio est. Inde est ille pater  
 tuus, & tu tanti es patris filius, iuxta conditionem dicentis, bene facite his qui oderunt uos,  
 ut sitis filij patris uestri qui in cœlis est. Eadem de oratione, eadem de ieiunio ratio siue sen  
 tentia est, cauendam scilicet esse in eis nequitiam hypocrisis, qua fermentabatur omnis  
 iustitia scribarum & pharisæorum, & eleemosyna uidelicet & oratio & ieiunium: quippe  
 qui sicut eleemosynam facientes tuba canere ante se, ita & **L** *in synagogis & in angulis*  
*platearum amant* (inquit) *stantes orare, ut videantur ab hominibus.* ¶ & cum iei  
 unant tristes fiunt, ut pareant hominibus ieiunantes. Vnam eandemq̄ per singula iustus  
 iudex depromit sententiam. **L** *Amen dico uobis, receperunt mercedem suam.* ¶  
 Nunc iam quid dicat dignæ orationis formator & institutor pensandum est. **L** *Orantes*  
 (inquit) *nolite multum loqui sicut Ethnici.* Putant enim quod in multiloquio  
 suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis. Scit enim pater uester, quid opus  
 sit uobis, antequam petatis eum. ¶ Ethnicorū non paruū circa uoces cōpositiōesq̄ uer  
 borū fuit studiū, qualiū maximi uel notissimi sunt inter poetas Vergiliū, inter historiogra  
 phos Salustius, inter oratores M. Tullius. Taliū scripta si scis ac diuinis scripturis cōferas  
 ea maxime discernuntur distantia, quod apud illos res exiles atq̄ ignobiles utpote terrene,  
 & de cœlestibus siue spiritualibus nihil habentes, uerbis ornantur: in sanctis autem scriptu  
 ris non

Matth. 23.

Sex opa mise  
 ricordiae pdu  
 cunt in sabbatū  
 cum domini.  
 Hebræ. 4

Prouer. 27.

Vnde deus ē  
 pater noster.

Roma. 12  
 Supra cap. 5.

is non res uerbis, imò uerba rebus uenerabiliter decorantur. Ibi uerba conquisita f iusq se  
 quentia rebus cad uicis maiestatem quandã afferre coguntur: hic autẽ res magnas, res diuis  
 nas sponte uerba sequuntur, & quamuis pulchra sint, ita rerũ maiestate operiuntur, ut nisi  
 diligenter attendas, uix appareat eloquentia, quod præfens assit, dominamq; suam sapien  
 tiam libenter comitetur. Nolite ergo (inquit) assimilari eis, nolite putare, quemadmodum  
 ipsi, quod in multiloquio exaudiamini, deumq; iudicem magis longa & eleganti oratione  
 quam rerum ueritate flectere aut uincere possitis, aut quod docilem facere siue docere de  
 um opus sit. Scit enim pater uester quid opus sit uobis, antequam petatis eum. ¶ Confur  
 git in hoc loco quædam hæresis philosophorum quoq; dogma peruersum, dicentium,  
 Sinouit deus quid oremus, & antequam petamus, scit quibus indigemus, frustra scien  
 ti loquimur. Quibus breuiter respondendum est, nos non narratores esse, sed rogatores.  
 Aliud est enim narrare ignorantem, aliud scientem petere. In illo iudicium est, hic obsequium.  
 Ibi fideliter referimus, hic miserabiliter obsecramus. Plus adhuc dicendum & uenerabili  
 ter sentiendum est, quia speciosum hoc inter deum & homines commercium, scilicet ora  
 tio, non debet esse solummodo ad accipiendum, uerum etiam ad occurrendum, scilicet ut  
 benefictis dei uenientibus, donis altissimi gratis affluentibus, solennem & religiosum ora  
 tio sancta præbeat occursum, iuxta illud Psalmistæ, Et mane oratio mea præueniet te. Ex  
 compli gratia. Ecce ancilla domini (ait M A R I A) fiat mihi secundum uerbum tuum.  
 Deniq; iam fiebat, iam ex ore angeli uerbum audierat & concipiebat: & tamen orando di  
 xit, imprecando sibi clamauit clamore cordis inenarrabili, fiat mihi secundum uerbum tu  
 um. ¶ Hoc propemodum est tale, ac si personam dignam chorus excipiat, aut cœtus so  
 lennis procedens obuiam, non iam ut ueniat, sed quia uenit. Hinc est quod quotidie ci  
 uis tam spirituales quam corporales cum oratione percipimus, iamq; habentes præ  
 oculis aut prope tenentes in manibus panẽ dominicum uitæ æternæ, panẽ uictualem ne  
 cessariũ huic temporali uitæ: nihilominus oramus & dicimus, panem nostrum quotidia  
 nam da nobis hodie, quia uidelicet benigna uoluntas dei omnia tribuentis, similes optat  
 sibi esse uultus interioris hominis accipientis: ut quod datur diuinæ charitatis beneficio,  
 suscipiatur cũ desiderio, desiderũq; ipsum testatur oratio, socialiterq; orationẽ subsequẽs  
 gratiæ actio. Cũ igitur dicit, scit enim pater uester, quid opus sit uobis, antequam petatis eũ:  
 non ociosum aut superfluum nos existimare uult orationis studium, sed uitare multilo  
 quium, scientes quod & olim de Behemoth ad beatum Iob dixit, non parcam ei uerbis po  
 tentibus, & ad deprecandum compositis. ¶ Quid si ex affectu diuinæ inspirationis oratio  
 protendat? Nunquid pro multiloquio reputabitur, & erit contra institutionẽ dicentis, ora  
 tes aut nolite multũ loqui sicut Ethnici: Nequaq; Alti quid fiet de orationibus psal  
 misticis, id est, psalmis pluribus modo locutionis oratorio uel deprecatorio currentibus, &  
 non adeo breuib; nec parũ bene compositis? Taceo de multis orationibus ecclesiasticis,  
 quas religiosus passim conuentus priuatim ruminare & publice personare consueuit, ple  
 rasq; prolixas & luculento sermone à scholasticis cõpositas: de psalmis dumtaxat nunc di  
 co, quos esse cõpositos nõ dubitamus autore spiritu sancto, spiritu prophetico. Nunquid  
 debebunt contemni pro hac autoritate dicentis, nolite multum loqui: Proinde diligenter  
 animaduertendum est, quia nõ tantummodo dixit, nolite multum loqui, sed addidit, sicut  
 Ethnici: & sic intelligendum, ac si dixisset, nolite multũ loqui, nisi forte affluant uerba præ  
 sentis ex affectu diuinæ inspirationis. ¶ Ecce aliud, Scientia inflat (inquit apostolus, subiu  
 gens) charitas autem ædificat. Nunquid hoc dicto scientiam condemnat? Non utiq; sed  
 charitatem commendat, eamq; socialiter cum scientia nobis inesse desiderat. Scient  
 ia namque sine charitate, uerum quidem est, quia inflat, est enim secularis scientia: cũ char  
 itate uero scientia multum ædificat, est enim donum dei, cum sit spiritus scientiæ u  
 nus de septem spiritibus domini, quintus in ordine, quem propheta taliter præscripsit.  
 Spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis,  
 & spiritus timoris domini. Itaq; sicut scientiã non propter semetipsam, sed propter uiduitã  
 ite quandã, dũ sine charitate est, uituperat apłus dicens, scientia inflat: ita longam & facun  
 dam orationẽ dominus, nõ propter semetipsam uel propter suimet longitudinẽ reprobat  
 sed pro

lego t uix q

Obiectio hæ  
reticorum

Solutio bre  
uis & elegã  
de orãdo deũ

Psalm. 27.  
Lucã. I.

Apta similitudo

Iob. 41.  
Oratio longa  
cũ affectu lau  
dabilis.

Similitudo.  
I. Cor. 8.

Esaia. 11.

Oratio mus-  
calis plus af-  
ficit.

Exodi. 32.  
Exodi. 33

Tres modi or-  
ationis, deo plas-  
cunt.  
L. Regum. I.

Actuum. 2.

Exodi. 14.

Psalm. 9.

Quartus mo-  
dus hypocri-  
tarum est.

Lucæ. 11.

sed propter similem ignobilitatem, cum desiderium sanctum non habens, quislibet more Ethnicorum uerba multiplicat. ¶ Nam si utrunque addit, non solum orantem iuvat, uerum etiam auditentem edificat: utque abundantius adificet, plerumque oratio ecclesie musica dulcedinis suavitate condita est. Valeat etiam ditus musica dulcedinis psallendo atque crando ad inuitandam siue excitandam in pectore nostro spiritus sancti gratiam, secundum Helisei prophetae exemplum, de quo taliter scriptum est in libro Regum. Viuit dominus exercituum, in cuius conspectu sto (ait ipse ad Ioram regem Israel) quod si non uultu Iosaphat regis Iudae erubescerem, nec attendissem quidem te, nec respexissem. Nunc autem adducite mihi psalterem, Cumque caneret psalter facta est super eum manus domini, & ait. Hec dicit dominus. Facite in hoc alueo torrentis fossas & fossas &c. Non dubio plerisque esse, qui huius rei experimentum quantumlibet affectu sunt, & secundum illud exemplum nonnumquam persenserint in auditu siue decantatione laudis siue orationis bene & morose cum musico modulamine sonantis, quod ipsorum uiscera concuteret impetus spiritus sancti, inundans affectus diuinæ inspirationis, uis magna sanctae compunctionis. Fit denique, nescio qua natura ui, ut multo amplius afficiatur audiendo sublimiter canentem ecclesiae chorus cum multitudine sonorum. Exempli gratia, Illam orationem Moysi, obsecro domine, dimitte peccata populi tui, itemque quod orauit idem Moyses eundem dominum & dixit, si inueni gratiam in conspectu tuo ostende mihi te ipsum manifeste, ut uideam te, quam si simplicem eiusdem orationis literaturam, ut in libro historico scripta est, legam uel audiam. ¶ Quid igitur ualet nobis haec institutio breuitatis, qua nos informare uolens, sic ergo (inquit) uos orabitur: Hoc nimirum quod instantiae siue elationis uitium, quae in multiloquio solet obrepere, per compendium siue breuitatem melius potest animus infirmus effugere: & praeterea quia modus hic orationis, qui breuitati studet, caeteris modis facilius, cunctisque pusillis pariter atque maioribus magis accommodatus est. ¶ Sunt namque tres orationis modi, in quibus domino beneplacitum est, quartus illi omnino displicet. Primus modus est, cum oratio ex affectu (sicut iam dictum est) diuinæ inspirationis protenditur, sicut fiebat Annae, quae in tantum multiplicabat preces, ut eam aestimaret Heli temulentam. Factum est (inquit scriptura) cum illa multiplicaret preces coram domino, ut Heli obseruaret os eius. Porro Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia eius mouebantur, & uox penitus non audiebatur. Aestimauit ergo eam Heli temulentam, dixitque ei. Vsq; quo ebria eris. Diger paulisper uinum quo mades. Secundum similitudinem illius ecclesiae de gentibus, quae dudum sterilis deo erat, nunc autem peperit plurimos, preces coram domino bene multiplicat, & ex quo sic coepit loqui, aestimauit eam temulentam Heli, scilicet uana sapientia ueteris sacerdotum. Dixerunt enim, quia multo pleni sunt isti, nescientes & deridentes gratiam, quae postea sterilem istam parere fecit. ¶ Secundus orationis modus, quem dominus loco praesenti commendat, ut uidelicet sciat orans quod non in clamosa uoce, non in multiloquio, sed in contritione cordis dominus exaudiat: quodque oratio breuis & pura esse debeat, ut ista, pater noster qui es in caelis, &c. ¶ Tertius modus est, dum non solum sine clamorosa uoce, uerum etiam absque motu labiorum quis orat intrinsecus oratione clausa, sicut orabat Moyses, quando persequente Pharaone dixit ad eum dominus. Quid clamas ad me? Nihil enim tunc ore loquebatur ad dominum, sed magnus clamor magnus erat desiderium. Hinc Psalmista. Desiderium pauperum exaudiuit dominus, praeparationes cordis eorum audiuit auris tua. ¶ Quartus orationis modus omnino (ut iam dictum est) domino displicet, uidelicet, ubi multiloquium est absque affectu diuinæ inspirationis, quem solum habent uel habere possunt hypocritae, multum loquentes sicut Ethnici, in synagogis & in angulis platearum stantes, uel stando orantes, & uideri uolentes, de tribus iam dictis modis orandi faciliorem modum tam pusillis quam maioribus magis commodum uel aptum, scilicet breuiorem paucisque uerbis contentum, praescribit dicens. L. Sic ergo uos orabitur. Pater noster qui es in caelis sanctificetur nomen tuum, &c. Hec oratio forsitan discipulis domini adhuc rudibus ob sui breuitatem insufficientis uisa est, Nam (sicut Lucas memorat) cum esset in loco quodam orans, ut cessauit, dixit unus ex discipulis eius ad eum. Domine doce nos orare, sicut & Iohannes docuit discipulos suos. Quale hoc erat discipulos domini rogare, ut sicut docuerat homo, Iohannes ita doceret orare. Iohannes enim homo erat. Vt autem,

autem, sicut oportet, oremus, nemo docere potest, nisi solus deus. Hinc apostolus. Nam quid oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Ergo quoniam doceri uolebant, sicut homo hominem docere potest, sicut homines discipulos suos docere potuerat homo Iohannes, quid uel quomodo eis respondit? Cum oratis, inquit, dicite. Pater, sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum, panem nostrum quod habent nobis, & ne nos inducas in tentationem. ¶ Si pater compositus uel insufficientis uidebatur illis modus orationis, quæ secundum hunc Euangelistam Matthæum ipse ultro in monte docuit, & iccirco in loco alio rogauerunt se doceri, sicut Iohannes orare docuit, pulcherrime illis compositione siue longitudine orationis non solum non auxit, uerum etiam diminuit. Nam de septem petitionibus duas omisit, tertiam & ultimam, fiat uoluntas tua sicut in cælis. Solene est orationem à laude inchoare, post primam appellationem, pater noster qui es in cælis. Nec mora, ut magis ac magis notum sit oranti, qui cum deo uerba facit, quod non opus sit ei longo uel composito sermone fatigari. Quis uestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte & dicet illi, amice comoda mihi tres panes. Quoniam amicus meus uenit de uia ad me, & non habeo quod ponam ante illum. Nimirum qui sic uenit ad amici sui ostium, non sermonem affert longum præmeditatum, diligenter compositum siue accuratum, sed & si tota nocte standum tibi & rogandum est, unus idemque sermo est, breuis est, & hoc idem repetit centies, resonatque milies, amice comoda mihi tres panes. Secundum hoc exemplum, petite (inquit) & dabitur uobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur uobis. Quid petimus? Quid quærimus? Spiritum bonum (ait) Si enim uos cum sitis mali, nostris bona data dare filiis uestris, quanto magis pater uester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se, subauditur qui doceat uos orare? Dixit enim, domine doce nos orare, sicut & Iohannes docuit discipulos suos, ignorantes quia doctrina huiusmodi non est Iohannis siue alicuius hominis, sed solius spiritus boni, spiritus sancti. ¶ Proinde si compendiosum quæris iter ad consequendam orandi scientiam, nec ista secundum Matthæum breui, nec illa secundum Lucam breuiori oratione adeo opus tibi erit, tantummodo persistas rogans patrem, postulans amicum, da mihi spiritum bonum, da mihi spiritum sanctum. Quem cum ille dederit tibi, iam uere orandi scientiam habebis, & miro modo sic in oratione uehementer occupatus eris, ut uerbum aliquod proferre uix possis, quia non occupabit gemitu continuo totum præoccupante officium uocis. Hinc est illud, Nam quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus, quia secundum deum postulat pro sanctis. ¶ Igitur hanc orationem dominicam, partesque eius, id est, petitiones septem, quæ prima est, sanctificetur nomen tuum: ultima, sed libera nos à malo: sic recte accipimus tanquam prima scientiæ uel doctrinæ huius, qua ad orandum sumus informati, elementa: quoniam ueluti preterita hæc tradita sunt, cum nec dum accepissent spiritum paraclætum, dicentibus interdum, domine doce nos orare, sicut & Iohannes docuit discipulos suos. Etiam si fuerimus perfecti, inquit, sicut iam supra dictum est, spiritus ille gemitibus inenarrabilibus oret uel postulet pro uobis, non tamen oratio hæc, oratio dominica, prima cunctarum orationum ab ore nostro cadere debet, ne uideamur nobis ipsis magni & orationis huius non indigentes, quæ quasi putate hypocritarum, quorum tota oratio est multiloquium. ¶ Et quidem breuis & paruis apta est, sed & magnos delectare atque exercere potest, & in primis appellatio hæc, pater noster, qui enim, cui dicimus, pater noster, patri misericordiarum, patri cælestis patriæ, patri uitæ sempiternæ, patri domini nostri Iesu Christi, dei sibi meti coæqualis & coæterni. Gratia huius unigeniti filii sicloquimur patri huic, ex quo sumus renati, qui male fueramus nati, & mirabili compendio mala fors nostra sic mutata est, quæ effecti sumus filii dei, credendo in eum, qui cum solus filius dei esset, naturæ nostræ particeps factus est. Gratiam istam miratur omnis creatura prædicat per orbem sancta ecclesia, uenerantur angeli, reuerentur archangeli, magni throni glorificant dominatiões, laudant principatus, adorant potestates, benedicunt uirtutes,

Roma. 8.  
Lucæ. 11.  
Pater noster, breuius apud Lucam quam apud Matthæum.  
Ibidem.  
Roma. 8.  
Oes tamen magis cum paruorum rare debent pater noster Lucæ. 11.  
Ephes. 2.  
Roma. 6.  
Galat. 3.  
1 Pet. 1.



Qui es in cælis. uirtutes, desyderant in eam prospicere Cherubin atq; Seraphin. ¶ Admirationem tantæ gratiæ nos quoq; habere innuit laus ista quàm breuis, qui es in cælis. Quis enim docilis ad orandum puer, docilis ad inuocandum patrem, non admiretur, quod iste pater cum in cælis, id est, tantum in inuisibilibus quæ nobis inuisibilia sunt possit uideri, hic in isto seculo uisibili, ubi eum non uidet homo, nos genuit: quemadmodum Apostolus Iacobus, Voluntarie enim (inquit) genuit nos uerbo ueritatis, ut simus initium aliquid creature eius. Quàmuis autem cælorum nomine patria significetur inuisibilis, ubi sancti habitant angeli, & quo Christus quadagesimo post resurrectionem suam die, uidentibus apostolis ascendit: nihilominus tamen cæli dicuntur & sunt supra memorati nouem ordines angelorum & in eiusmodi cælis hic pater noster est, quod est beatitudo illorum: quia uidelicet deum in illis esse, hoc est, permanere & non mutari, quemadmodum dicit ad Moysen, ego sum qui sum, & huius essentiam inuariabilem in semetipsis semper habent, semper & absq; ullo fine beati & immortales habebunt, & immortaliter pascentur hoc summo bono, quo pleni sunt, quo pleni permanebunt. ¶ Hinc omnes Christiani, magni & parui, diuites & pauperes, nobiles & plebei, domini & serui, reges & mendici principes cum uulgo ignobili, omnes omnino absq; ulla distinctione gentis siue conditionis, sexus & ætatis, ordinis uel officij, pater noster dicimus huic, & nemo nostrum dicit, pater mi. Vnus est filius primo genitus & unigenitus, non uti nos gratiæ, sed solus nature filius, cui conuenit dicere, pater mi, & dixit cum traderetur, mi pater si possibile est, transeat à me calix iste, & pater noster nusquam legitur dixisse. Cur hoc? Videlicet quia dissimiliter illi & nobis deus pater est: Illum genuit, non adoptauit. ¶ Tali appellatione præmissa, prima petitio hæc est. **L Sanctificetur nomen tuum.** ¶ Sanctum semper fuit & est nomen domini, uerumtamen modus quidam est sanctificationis eius nobis utilis, quem per prophetam hoc modo promissit. Sanctificabo nomen meum magnum, dicit dominus, ut fiant omnes gentes, quia ego dominus cum sanctificatus fuero in uobis coram eis. Protinus ac si quæreret aliquid, quomodo nomen tuum sanctificabis? ait. Tollam quippe uos de gentibus, & congregabo uos de uniuersis terris, & adducam uos in terram uestram, & effundam super uos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis uestris, & dabo uobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio uestri, & cætera: quibus utiq; uerbis gratia præsignatur baptismi Christi. ¶ Ergo tolli de gentibus, & congregari de uniuersis terris credentes in Christum, & baptizari eos in remissionem peccatorum, hoc sanctificari est nomen tuum d. deus pater omnium: quia sic sancti fiunt hi, super quos inuocatur nomen tuum. Etenim sanctificatio hæc reuera nominis tui sanctificatio est, quia non tam ipsis datur, quàm tuo nomini, iuxta illud quod dictum est per Psalmistam, Non nobis domine non nobis sed nomini tuo da gloriam. Vt autem sanctificatio hæc in plures redundaret, primus ipse Christus sanctificatus est, eodem baptismo quo moriendo baptizatus est, sicut prædixerat, ego inquit baptismo habeo baptizari, & quomodo coartor usq; dum perficiatur? Et sub ipso passionis articulo, cum dixisset orans ad patrem, sanctifica eos in ueritate, subinde, & pro eis sanctifico (ait) me ipsum, ut sint et ipsi sanctificati in ueritate. Quid enim sanctificari ipsum sanctum sanctorum, nisi sanctificari pro peccatis omnium, et auferri illi quas posuerat in eo deus iniquitates omnium nostrum? In illo sanctificationis actu, d. deus pater, sanctificatum est nomen tuum, quia per effusionem sanguinis et aquæ de latere eius sanctificati sunt, et remissionem acceperunt hi, super quos inuocatum erat nomen tuum. Igitur quod dicimus, sanctificetur nomen tuum, hoc dicere est, conuertantur gentes et remissionem peccatorum accipiant per nomen tuum, et omnium orationum quascumq; offerimus siue pro cathecuminis nostris, siue pro hæreticis et scismaticis, siue etiam pro perfidis Iudeis, et pro paganis nunc usq; incredulis, ut conuertantur ad deum uerum et uerum, et unicum filium eius Iesum Christum, deum et dominum nostrum, summa hæc est, sanctificetur nomen tuum. ¶ Secunda petitio est, **L Adueniat regnum tuum.** ¶ Quando hac oratione discipulos suos informabat, sicut baptismi sacramentum, quod nobis est sanctificatio nominis, domini, necdum conditum fuerat, ita et regnum dei nondum uenerat, sed appropinquabat, iuxta hoc euangelicæ predicationis initium, penitentiam agite, appropinquabit

Qui es in cælis.

Iacobi. I.

Exodi. 3.

Nos, pater noster,  
Christi pater mi,  
dicere debuit

Math. 26

Prima petitio,  
sanctificetur  
nomen tuum,  
Ezech. 36

Psalm. 113

Lucæ. 12

Iohan. 17

Esaia. 53

Secunda petitio,  
adueniat  
regnum tuum.

Math. 4

quabit enim regnum cœlorum. Ex eo namq; regnum dei aduenit & intra nos est, ex quo princeps mundi huius foras missus est, quod per passionem & resurrectionem suam mox fore prænunciãns, ecce enim (inquit) regnum dei intra uos est. Eatenus mors regnabat. Quamuis lex subintrasset, nihilominus tamen peccatum tyrannizabat, quemadmodum Apostolus cum dixisset, sed regnauit mors ab Adam usq; ad Moysen, & cœtera, demum subintravit. Lex autem subintravit, ut abundaret delictum. Quid ergo ad huc oramus, adueniat regnum tuum? Videlicet ut regi regni eius omnia sint subiecta, totumq; compleatur illud, quod Psalmista cum dixisset, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum, addidit adhuc. Omnia subiecisti sub pedibus eius. Hinc apostolus. Nunc autem (ait) necdum uidemus omnia subiecta ei, eum autem qui modicum quam angeli minoratus est, uidemus dominum Iesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum. Et alibi dicit. Deinde finis, cum tradiderit Christus regnũ deo & patri, cum euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & uirtutem, & dominationem. Oportet autẽ illum regnare, donec ponat inimicos suos sub pedibus eius. Nouissima autẽ inimica destruetur mors. Igitur quamuis iam aduenierit, iamq; sit intra nos regnum dei, ex quo Christus propter passionem mortis gloria & honore coronatus est: nihilominus tamen adhuc oramus, adueniat regnum tuum, id est, nouissima destructione mortis perficiatur, nihilq; relinquatur illi non subiectum, nullumq; remaneat scandalum. iuxta quod alibi dicebat. Et colligent de regno eius omnia scandala. ¶ Tertia petitio, L. **Fiat uoluntas tua sicut in celo & in terra.** Iuxta sensum iam dictum fere superabundat, unde & apud Lucam studio breuitatis prætermisit eam, ut supra iam dictũ est. Quis em̄ regnat & non sit eius uoluntas? Veruntamen non nihil interest, quia uidelicet regnat super bonos & malos, super eos quoq; qui dixerunt, nolimus hunc regnare super nos, quemadmodum in propheta dixit, Et regnabo super uos in furore meo: in solis autem bonis & sanctis uoluntas eius est. Hinc ad Hierusalem dicit. Non uocaberis ultra derelicta, & terra tua non uocabitur amplius desolata, sed uocaberis uoluntas mea in ea. Econtra reprobis, loquitur. Non est uoluntas mihi in uobis. Recte igitur cum dicimus, adueniat regnum tuum, quoniam super aduersarios quoq; suos regnabit, oramus, ut faciat ipse, quatinus nostra sit subiectio uoluntaria, dicẽdo, fiat uoluntas tua sicut in celo & in terra. In celo nanque, id est in beatis spiritibus, facta est & fit uoluntas eius, nihilq; illi repugnat, deiecto cum suis satellitibus aduersario, qui iccirco cecidit, quia repugnabat rebellionẽ uoluntatis malæ, unde & uocabatur diabolus & Satanas. Et si sunt plurimæ uoluntates eius, quia plura sunt præcepta eius, unde & in psalmo dicit, sanctis qui in terra sunt eius, mirificaui omnes uoluntates meas in eis. Hæc summa est uoluntas eius, ut uiuamus, ut salui siamus. Hinc ipse filius loquitur. Hæc est autem uoluntas eius, qui misit me, patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die. Et rursum. Hæc est autem uoluntas patris mei, qui misit me, ut omnis, qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitam æternam. ¶ Quarta petitio, L. **Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.** Hic qui dem supersubstantialem, in Luca uero panem legimus quotidianũ. Possimus supersubstantialem panem intelligere, qui super omnes substantias sit, & uniuersas superet creaturas, qui & dicit, Ego sum panis uiuus, qui de celo descendĩ. Alij simpliciter putant secundum apostoli dictum, habentes uicium & uestitum his contenti sumus, de præsentĩ tantum cibo sanctos curam gerere, unde & in posterioribus sit præceptum, nolite cogitare de crastino. ¶ Huiusmodi panem a deo petisse uel sperasse primus legitur Iacob peregrẽ proficiscens. Si (inquit) fuerit dominus mecum, & custodierit in uia per quam ambulo, & dede rit mihi panem ad edendum & cœtera. Alius est panis sermo dei, de quo Moyses dicit. Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod egreditur de ore dei. Cuius defectum comminatur per prophetam deus populo peccatori, Mittam (inquiens) uobis famem audiendi uerbum dei. Tertius est panis caro Christi, quam nobis de sancto altari dat quemadmodum dixit, & panis quem ego dabo caro mea est pro mundi uita. Quidlibet horum trium cogites, dei donum est, nec alius quis præter eum dare potest. Si de pane uicuali quæras, quis alius facit, ut eum terra producat? Si de pane spiritali quod est uerbum dei, quod

Lucæ. 17  
Iohan. 12  
Roma. 8  
Psalm. 8.  
Hebr. 2.  
1. Cor. 17  
Matth. 13  
Tertia petitio fiat uol. tua.  
Lucæ. 19  
Ezech. 20  
Esaie. 62.  
Malach. 1.  
Apoc. 12  
Psalm. 118.  
Iohan. 6  
Quarta petitio panem nostrum, &c.  
Ibidem.  
1. Timo. 6.  
Matth. 6  
Triplex panis  
Gen. 28  
Deut. 2.  
Amos. 3  
Iohan. 6



dei, quomodo nisi per dei aspirationem datur? Quomodo (inquit Apostolus) prædicantur, nisi mittantur. Si de pane sacramenti, quis nisi deus facere potest, ut tibi ad uitam detur, & in remissionem peccatorum à te percipiatur? Igitur panem nostrum quotidianum da nobis hodie, sic dicat sapiens etiam rex, ut ueraciter confiteatur, nec erubescat confiteri dicens, Ego autem mendicus sum & pauper. ¶ Quinta petitio. **Et dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.** Qualiter nos, quorum debita sunt debita, dimittamus debitoribus nostris, ipse huius orationis autor exemplo suo docuit, qui nulli quicquam debuit. Cum enim crucifigeretur, dicebat. Pater, dimitte illis, non enim scimus quid faciunt. Sciebat enim inter eos esse nonnullos, nescientes quid facerent, eosque dicturos esse ad Petrum & ad reliquos Apostolos. Quid faciemus uiri fratres? Credituri erant ex illis plurimi, & dimissus est illis sanguis eius, secundum petitionem dicentis, pater dimitte illis. Similiter optare debemus cunctis debitoribus nostris, & non querere ultionem ex eis, & tunc ore libero, mente secunda dicere poterimus, **Dimitte nobis sicut & nos dimittimus.** Quid, si non nesciunt quid faciunt, sed inuidendo persequuntur nos & occidunt, maxime propter Christum? Nunquid exigitur à nobis ut dimittamus eis, si uolumus nobis debita nostra dimitti? Imò non solum inculpabiliter, uerum etiam iuste clamamus id, quod ualde notum & usitatum est, uindicta domine sanguinem sanctorum tuorum qui effusus est, & redde uicinis nostris septuplum in sinu eorum. Nonne his similia, imò & fere grauiora, ipsa CHRISTI persona loquitur in propheta. **Fiant (inquit) uxores eorum absque liberis & uiduae, & uiri eorum interficiantur morte, & cætera quæ ita concludit. Ne propitius iniquitati eorum, & peccatum eorum à facie tua non deleatur. Fiant corruentes in conspectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis. Debita pecuniæ seu quarumlibet re, quæ nobis iure debentur, ut dimittamus debitoribus nostris, conuentio nos ista non cogit, nisi forte pro misericordia, si debitor attenuatus paupertate, reddere non possit. Si quidem & ipse dominus, quod iure sibi debetur uel quod ei semel quispiam uouit, nequaquam dimittit, siue bonum siue malum sit, sed nec altero commutari concedit, imò dicit. Si quis mutauerit, & hoc quod mutatum est, & pro quo mutatum est, sanctificabitur domino, & non redimetur.** ¶ Sexta petitio. **Et ne nos inducas in tentationem.** Ergo ne deus inducere solet in tentationem, ut dicamus ei, & ne nos inducas in tentationem? Non utique in tentationem mali, tentationem concupiscentiæ siue peccati, Nemo cum tentatur (ait Iacobus Apostolus) dicat quia à deo tentatur. Deus enim intentator malorum est. Ipse autem neminem tentat. Vnusquisque uero tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Est alia tentatio, scilicet tribulatio, quæ ab hoc seculo multis infertur modis, & eiusmodi tentatione deus sanctos suos tentare consueuit. Hinc est illud per sapientem dictum. Deus tentauit illos, tanquam aurum in fornace probauit eos. Recte & sapienter sic tentari, id est, tribulari metuentes, & pauidi dicamus deo, rogemus patrem, & ne nos inducas in tentationem. Sed dicit aliquis. Nonne & gloriosum & optabile est in tribulatione tentatos & probatos coronari? Nonne ex huiusmodi tentationibus martyres sancti facti sunt gloriosè? Nonne ergo magis optare debemus tentationem? De tentatione quæ peccati si placet hic intelligi, non aliter intelligendum est, & ne nos inducas in tentationem, nisi ac si diceretur, & ne nos permittas induci in tentationem. ¶ Septima petitio. **Sed libera nos a malo, Amen.** Hanc, ut superius iam dictum est secundum Lucam, sicut & tertiam illam, fiat uoluntas tua sicut in celo et in terra, studio breuitatis omisit, dum plenius inculcare uult eis qui nondum intellexerant ex hac prima institutione, quod orantes non oporteret multum loqui. Et quidem unum idemque uidentur significare, et ne nos inducas in tentationem, sed libera à malo: quoniam in tentationem non induci, id plane est à malo liberari: ueruntamen magis uniuersale nomen est malum eorum quæ nocent, et naturæ uel salutis humanæ aduersa sunt. Nam, ut de cæteris taceam, mors ipsa malum est, et infernus malum est, et diabolus malus est, à quo gratia dei per Iesum Christum dominum nostrum nos liberet. Amen. Hoc signaculum orationis dominicæ interpretatur uere uel fideliter. ¶ Ecce hæc est oratio dominica, septem distincta partibus, id est petitionibus, et ipsa est cunctarum excellentiarum orationum, ut quicquid à patre nostro deo petere uolumus, hic probemus utrum deo placitum

Roma. 10.

Psal. 39  
Quinta petitio, Et dimittit se nobis, &c.

Luca. 23

Actu. 2.

Psal. 78.

Hierem. 18

Leuit. 27

Sexta petitio &amp; ne nos inducas

Iacobi. 1.

Sapient. 3.

Septima petitio, sed libera nos a malo,

Pater noster  
plurimum  
orationum.

placitum uel ad salutem nostram sit idoneum quod postulamus. Nam si ab istarum quaerit petitionum petentis intentio discordat, nequaquam in nomine saluatoris postulat. Et ideo non arroget sibi sponsonem dicentis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Et in cunctis quidem petitionibus claret patris bonitas, in quinta autem quaerit, & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, bonitas si mali & seueritas, quam protinus ita confirmat. **L** Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et uobis pater uester coelestis delicta uestra: si autem non dimiseritis hominibus, nec pater uester dimittet uobis peccata uestra. Quam bene bonitas & seueritas patris & iusti iudicis per istam conditionem prouidit cunctis reconciliationem quaerituris, sicut ipse superius dictauit dicens, si ergo offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris quia frater tuus habet aliqd aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & uade prius reconciliari fratri tuo, & tunc ueniens offeres munus tuum. Legimus hunc ipsum dominum, ubi praecpta & iudicia sua populo suo per Moysen proposuit, ita dicentem. Qui percusserit hominem uolens eum occidere, morte moriatur. Qui autem non est insidiatus, sed deus illum tradidit in manus eius, constituaui tibi locum, quo fugere debeat, subauditur, ne propinquus occisi interficiat eum, quod alibi constitutus ens plenius edicit. Quae fortior uel magis munita ciuitas reis ad refugiendum esse potuit, quam ista coniunctio iustitiae seu charitatis, si non dimiseritis, nec pater uester dimittet uobis. Quis enim patris huius filius esse uolens, ciuitatis huiusce uestes & seras estringere audebit, & in eum uindicare qui in illam confugit, cupiendo reconciliari? **L** quoniam quoniam dixerat superius, uade prius reconciliari, & ille poterat caufari de difficultate reconciliationis, puta dixisse dominum, constituaui tibi locum quo fugere debes, id est ponam conditionem de peccatis dimittendis, in qua timens incidere frater tuus, satisfactionem tuam suscipiat.

Iohan. 16

Matth. 5.

Optima ciuitas refugij, dimittere fratrem, Exodi. 21.

Numc. 35.

Matth. 5. Exodi. 21.

FINIS LIBRI QUINTI.

DE GLORIA ET HONORE FILII HOMINIS LIBER .VI.



MISERICORDIAM ET VERITATEM

(ait Psalmista) diligit deus, gratiam & gloriam dabit dominus. Secundum hoc ueridicum carmen haec loquitur dei filius, quae nunc tractauimus & tractamus, te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua in absconso, & pater tuus qui uidet in absconso reddet tibi: Et, tu autem cum orabis, intra in cubiculum, & clauso ostio, ora patrem tuum, & pater tuus qui uidet in absconso, reddet tibi. Ibi misericordia, ibi ueritas est, quam deus diligit. Et quid nisi gratiam & gloriam reddet tibi? E contra similes & callidi prouocant iram dei, qualium uidelicet maximi erant hypocritae illi scribae & pharisaei, contra quos dicit, Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut faciunt hypocritae: Et, cum oratis, non eritis sicut hypocritae. In tribus

Psalm. 83.

Matth. 6.

g 3 hic ope